
COSMUS TERTIUS
MAGNUS DUX ETRURIÆ VI.

Digitized by Google

REGIÆ CELSITUDINI
COSMI III.
MAGNI ETRURIÆ DUCIS

SE, SUASQUE THEOLOGICAS THESES


FAUSTISSIMIS, MAXIMISQUE AUSPICIJS

PUBLICE' PROPUGNANDAS

In Templo Florentino Societatis JESU

IN ÆTERNI OBSEQUIJ MONUMENTUM EXHIBET, ET CONSECRAT

FERDINANDUS FOGGINI.



FLORENTIÆ, MDCCXX.

Typis Michaelis Neſtenus ſub Signo Nominis JESU.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGIA CELSITUDO.

QUæ jucunditas accidit trepidatione permiſta intuentibus Solem, ea contingit his Theſibus, R.C., ad tuæ Solium Præſentiæ advolutis. Nec immeritò ſanè: multum enim in Te Solis inſtar elucet. Nam quæ duo potiſſima Decora in Principe eminent Planetarum, Majeſtas ſcilicet, & Beneficentia, hæc eadem in Te mirum in modum expreſſa ſuſpicimus. Tanta patet in Sole amplitudo ſplendoris, ut omne Luminis Regnum in eum coactum videatur: tanta itèm Liberalitas eſt Clementium radiorum, ut nihil tam humile reperiatur, & jacens, quod dedignetur aſpicere, aſpiciendo non ſublevet, atque honeſtet. Dum Tuæ pariter lucem Majeſtatis intueor, quid mihi auguſtius occurrit inter Mortales? Non ego de ſplendore Generis tantùm; quem quiſquis ignorat, ipſum propè Mundum ignorat; cùm nullum planè Regium ſit Nomen, quod non cognationibus Mediceus ſanguis attingat; verùm de ea loquor præcipuè Claritate, in quâ potior Nobilitas ſita eſt; de Virtutibus, inquam, omnium quidem, ſed Mediceorum maximè Principum proprijs; de Magnanimitate videlicet, Moderatione, Gravitate, Clementia, Pietate, cæteriſque, ijsdemque ſummis, quas apertiùs efferrem, ſi vel earum Magnitudo, vel Tua Modeſtia pateretur. Tametſi memorare quid attinet, quod in confeſſo eſt apud omnes? ſplendidam Luci irrogat contumeliam, quiſquis eam laudare contendit: ſe ſatis ipſa dilaudat, dum aſpicitur. Unam ſed enim Beneficentiam, alteram Solis imaginem, præterire non licet. Habent hoc quidem aſſidua, licèt ingentia Beneficia, nobile additum infortunium, ut recipiantur magis, quàm attendantur. Quidquid in rerum natura gignitur, id Sol efficit aſpe-

ctu ſuo: uſus tamen, ac frequentia aciem hebetat æſtimationis. Hoc unum videris, R. C., abludere a Sole: verſatur nobiſcum quotidie, quaſi domeſtica, Liberalitas Tua; dumque ſpectandam ſe exhibet, implet oculos populorum; aſſiduitate tamen acuitur, non retunditur Admiratio. Quis enim non demiretur, Pacem circumſonantium ſtrepitu armorum omni pœne Europa eliminatam, atque exulem, in uno COSMI ſoſpitem ſinu conquieſcere, & a diuturno domicilio Etruſcam penitùs redditam, & Civem noſtram? Quis Fami, cùm ſæpè hos fines circumcurſaverit, rabidoque hæc limina pulſaverit pede; Contagioni, cùm hanc Cœli clementiam terrore afflaverit, nunc etiam afflet ſuo; utrique tamen, regnante COSMO, aditum interclusum, utque bonâ ſpe ſumus, intercludendum? Quis Pietatem ſecuris animis, explicito vultu, in hac præſertim Urbe, Etruriæ totius Arce, præeuntibus ſcilicet exemplis tanti Principis, incedentem? Quæ porrò Univerſitas bonarum Artium, quæ Familia Religioſorum Ordinum, quæ Aedes publicæ, quæ privatæ; quæ Calamitas, quæ ſolitudo Mediceæ Beneficentiæ manum experta, non demirantur? Ut ſaxa propemodum ipſa, ſi ſenſum haberent, non tam naturâ, quàm admiratione obſtupeſcerent. Equidem, quod ad me ipſum attinet, meamque Domum, quæ ſe ſingularibus in dies abs Te beneficijs cumulatam perſentit, Regiam Munificentiam Tuam & ſuſpicere, &, quamdiù hæc Vita ſuppeditabit, prædicare non deſinam. Haſce Ego ob cauſas, Theologicas Theſes propugnaturus, ejus videlicet Facultatis, quæ ob virtutes, de quibus diſputat, ſimillimam Solis, atque adeo COSMI III. præſefert imaginem, eas, inquam, tanquam Obſides memoris animi, Tibi ſiſtere, trepidus quidem, ſed tamen audeo. Tuo ipſas Nomini inſcribo, Tuis conſecro Patrocinijs: ſimul illud ſuperos orans, utinam exoraturus! ut Te diù ſoſpitent, ſuperſtitentque, & ad communem incolumitatem tueantur. Vale.

Regiæ Celſitudinis Tuæ

Humill., Addict., & Obſequentiſs. Servus, & Subditus.

Ferdinandus Foggini.

THEOLOGICÆ ASSERTIONES SCHOLASTICO-POLEMICÆ.

DE DEO.

I. DEum exiſtere, eſt per ſe notum quo*ad ſe*, non autem quo*ad nos*, imò Dei exiſtentia eſt indemonſtrabilis non ſolùm à priori phyſicè, ſed etiam Logicè, ſeù quaſi à priori. Eſt tamen Divina exiſtentia contra Atheos demonſtrabilis à poſteriori per Creaturas, ſub ratione Primæ cauſæ, & Primi efficientis.

II. Ex infinita perfectione Divinæ eſſentiæ demonſtratur Dei Unitas, ac ſimplicitas cum reliquis Attributis.

III. Divina eſſentia, phyſice accepta pro tota Dei realitate, continet omnes Divinas perfectiones, tùm abſolutas, tùm relativas. Eadem phyſicè ſumpta pro ſola quaſi ſpecifica forma Dei; communi tribus Divinis Perſonis, conſtat tantùm ex Attributis, & Prædicatis abſolutis. Undè Divinæ relationes non pertinent formaliter conſtitutivè ad eamdem Eſſentiam, conſideratam ſub ratione quaſi formæ prædicabilis de ſingulis Perſonis.

IV. Divina demùm Eſſentia, metaphyſicè accepta, optimè explicatur per hunc conceptum: *Ens à ſe*.

V. Deum per oculos Corporeos intuitivè videri, aut alio quovis ſenſu propriè, & immediatè, ut eſt in ſe, percipi non poſſe, ne de abſoluta quidem potentia, aſſerimus: Deus enim, utpotè ſuaptè natura ſpiritus undequaque purus, ac ſimplex, eſt obiectum corporeis ſenſibus omninò improportionatum.

VI. Errarunt proindè execrabiliter Antropomorphitæ, ſivè Audiani, & nonnulli Manichæi, qui cum Epicureis Deum humana forma præditum arbitrati, ajebant, eum, inſtar aſpectabilium Corporum, à qualibet materiali potentia, per ſenſibilem actionem, naturaliter attingi poſſe, atque cognoſci.

VII. Quamvis nullus Intellectus creatus re ipſa exiſtens, immò abſolutè poſſibilis, naturalitèr poſſit Deum ipſum immediatè, ut in ſe eſt, intueri; nihilominùs tamquam fidei dogma ſuſtinemus, claram hujuſmodi, atque immediatam Dei Viſionem ex ſupérnaturali dono Dei, non modò poſſibilem eſſe creato Intellectui; ſed jam concedi Intellectui quorumlibet Beatorum.

VIII. Hinc explodenda eſt opinio Græcorum quorumdam, atque Armenorum docentium; Deum, ne à Beatis quidem clarè ſecundum eſſentiam videri poſſe, ſed tantùm in quadam ſimilitudine, ſeù ſub lucida quadam ſpecie,

quam ἰσοφανίαν appellabant: cui non abſimilem hæreſim profeſſus eſt Almaricus de Bena, idcircò reprobatus in Concilio Lateranenſi quarto.

IX. Ut tamen Intellectus creatus elevetur, & corroboretur, ſimulque compleatur, in ratiune virtutis, ad Deum clarè intuendum, eſt illi abſolutè neceſſarium principium quoddam ſupernaturale, quod dicimus lumen Gloriæ: quod tamen non eſt tota ratio agendi in ordine ad ipſam Dei Viſionem; ad quam utique concurrit ipſe etiam Intellectus, ut cauſa efficiens partialis, & immediata.

X. Hæc luminis gloriæ neceſſitas nobis certiſſimè innotuit, præſertim in decreto Concilij Viennenſis ſub Clemente V., damnantis Begardos, & Beguinas (quorum errorem Anomæis Hæreticis meritò adſcripſeris) quòd inter cætera docerent, *Animam non indigere Lumine Gloriæ, ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.*

XI. Lumen Gloriæ duplex eſt. aliud ſtrictè dictum, quod ſignificat qualitatem ſupernaturalem habitualiter permanentem, atque inhærentem Intellectui beato, ut illum compleat, elevetque ad Deum in ſua eſſentia intuendum: Aliud latè dictum, quod ſignificat principium ſupernaturale, ſic etiam elevans, ac complens Intellectum Beatorum; preſcindendo tamen, an ſit principium intrinſecum, an extrinſecum illi intellectui? An permanens in eodem, per modum habitus; an verò tranſiens per modum actus?

XII. Lumen Gloriæ ſtrictè ſumptum eſt quidem Intellectui creato neceſſarium ad eliciendam claram Dei Viſionem; ſed de lege tantùm ordinariè. ſuppleri enim poteſt ejus concurſus per Dei ipſius Omnipotentiam, quæ extrinſecè Intellectum elevet, & per extrinſecam quaſi aſſiſtentiam præſtet efficientiam illam, quam præſtaret lumen Gloriæ ſtrictè dictum, & Intellectui intrinſecum.

XIII. Videri Deus non poteſt, ut eſt in ſe, per aliquam creatam ſimilitudinem obiectivam; benè verò per ſimilitudinem, ſeu ſpeciem creatam expreſſam, ac per Verbum mentis. Num per ſpeciem creatam impreſſam? materia Problematis eſto.

XIV. Quia Viatores aliqui ſunt meritis ſupernaturalibus inter ſe diſpares, ijdem poſtea comprehenſores, alius alio perfectiùs, videbunt Deum; ſicut definitum fuit in Concilio Florentino; cui præluxit Apoſtolus prima ad Corinthios 15. dicens: *Stella enim differt à Stella in claritate, ſic erit reſurrectio Mortuorum.* Quod igitur Jovinianus Electos omnes æquales in Patria credidit, Beatæ Viſionis munere; ſicut illos cenſuit in Via æquales, valore meritorum; utrumque doctrinæ caput, ut hæreſis labe infectum, omninò execramur.

XV. Verumtamen nullus creatus Intellectus conſequi poteſt tam perfectam Dei Viſionem, ut hac Divinam eſſentiam comprehendat; neque videre poteſt Deum per ipſam Dei Viſionem increatam. At quacumque viſione fruatur, per illam neceſſariò clarè videt una cum Divina eſſentia omnia Dei Attributa ſtrictè dicta, omneſque Divinas Perſonas.

XVI. Quod ſpectat ad Creaturas; tuemur ex his aliquas videri in Verbo, ſeù in eſſentia Dei formaliter per ipſam Beatificam Viſionem, & aliquas cauſaliter

ter per cognitiones ab ea diſtinctas, ſed ab eadem phyſicè, aut moraliter dependentes, quatenùs hujuſmodi cognitiones à novis illuſtrationibus, Diviniſque revelationibus procedentes, Beatorum ſtatui conveniunt, tamquam illius complementum. Quæ verò Creaturæ alterutro modo à Beatis videantur, interrogati inter diſputandum proferemus.

XVII. Quamvis ex abſoluta Dei potentia quilibet Intellectus Viatorum frui poſſit clara Dei Viſione, valdè tamen probabile cenſemus, nulli hactenùs hujuſmodi privilegium fuiſse conceſsum, excepto ad ſummùm Virginis Deiparæ Intellectu. Aſt illà certiſſimè fruebatur Sanctiſſima Anima Chriſti Domini; qui tamen, cum inter Mortales verſaretur, dici poterat Viator una, ac Compræhenſor.

XVIII. Si à ſcientia, per Intellectus præciſionem, detraxeris illas omnes imperfectiones, quibus vitiatur in Intellectu creato, retinet in quidditativo conceptu puram aliquam, ſibique propriam perfectionem. Quapropter ex S. Auguſtini ſententia: Ratio ſcientiæ propriè, & formaliter eſt Deo tribuenda, cui propria eſt omnis pura perfectio. Ex eadem ratione, Divina hæc ſcientia eſt omniſcia, Infinita, ſummè clara, & certa, eſſentialiter vera, & ipſa veritas infallibilitatis in repræſentando; licèt non tota veritas conformitatis cum obiecto repræſentato. Admittit illa Obiectum Formale merè obiectivè motivum, ſeù determinativum, ſicùt Materiale, & Terminativum: reſpuit verò Obiectum phyſicè motivum, ac ſpecificativum ſimpliciter.

XIX Ex præfata Divi Auguſtini regula, relucet etiam in Divino Intellectu propriè, & formaliter ratio ſpeciei intelligibilis; ſicut Memoriæ, quatenùs hæc præcisè eſt perfectiſſima potentia retinendi ſpeciem intelligibilem in ejus ultima actualitate; Denique conceptus obiectivus potentiæ intellectivæ, ut ratione noſtra diſtinctæ ab actuali intellectione: haud tamen ſub ratione virtutis, virtualiter, aut ratione noſtra, ne dum realiter producentis ipſam intellectionem.

XX. Dei ſcientia, etſi realiter unica, & omninò ſimplex, atque à Deo indiſtincta perfectio, eſt tamen formaliter ex noſtro modo cognoſcendi multiplex. Sic autem dividitur potiſſimùm. Primò in ſcientiam naturalem, ſeù neceſſariam, & liberam: illa reſpicit formaliter obiectum neceſſarium, quod nempè non poteſt non eſſe, aut aliter eſſe: hæc obiectum omne contingens ut tale; & cujus exiſtentia à libertate Divina immediatè dependeat. Secundò in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: Prior ſpeculatur omnium poſſibilium, atque impoſsibilium rerum eſſentias; Poſterior res omnes abſolutè exiſtentes, licet à Dei libertate illarum exiſtentia minimè dependeat. Quò circa non benè aliqui confundunt cum ſcientia naturali ſimplicem intelligentiam, & cum libera ſcientiam Viſionis: cùm aliqua ſcientia Viſionis in Deo ſit naturalis, ac neceſſaria, ſed non ſimplicis intelligentiæ; quà videlicèt intuetur Deus ſeipſum, ut abſolutè ab æternitate exiſtentem. Exindè enim conſectarium eſt, tùm ſcientiam naturalem latiùs patere ſimplici intelligentia, tùm ſcientiam Viſionis ſcientia libera.

XXI. Præter has aliam in Deo ſcientiam agnoſcimus, quæ, ſi cum gemina utriuſq;

 alla-

allatæ diviſionis ſcientia comparetur, jure dicitur *Media*. Eſt enim media, tùm inter ſcientiam neceſsariam, ac liberam, quatenùs de priori participat independentiam à libero Dei decreto, & de poſteriori contingentiam obiecti; tùm inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & Viſionis, quatenùs ſibi vendicat ſpeciale aliquod obiectum, quaſi ſuum ſpecificativum, quod propriè ad neutram pertinet, ſi utraque ſumatur in magis propria, ac ſtrictiori ſignificatione. Cæterùm veteres ſcholaſtici hanc in Deo ſcientiam re vera admiſerunt, quamvis non ſub expreſſo nomine *media*.

XXII. Præter Omnipotentiam Dei, quæ eſt poſſibilitas activa, & cauſalis Creaturarum, admittimus poſſibilitatem earum paſſivam intrinſecam, & formalem, conſiſtentem in metaphyſica connexione prædicatorum, ex quibus conſtant eſſentiæ rerum poſſibilium; ſicut proportionaliter impoſſibilitatem formalem rerum impoſſibilium, conſiſtentem in metaphyſica repugnantia prædicatorum conſtituentium eam eſſentiam. Hæc autem formalis poſſibilitas, aut impoſsibilitas eſſe poteſt obiectum formale verificativum ſcientiæ ſimplicis Intelligentiæ. Quare in aliquo recto ſenſu Poſsibilia, & Impoſsibilia cognoſcuntur à Deo in ſe ipſis.

XXIII. Per ſcientiam itidem Viſionis poteſt Deus effectus contingentes, ac liberos abſolutè futuros cognoſcere præcisè, & immediatè in ſe ipſis. Et quamvis horum ſcientia ſit in Deo infallibilis, atque immutabilis, non modò non evertit, ſed confirmat creatam libertatem.

XXIV Deus certa, & infallibili ſcientia ab æterno præſcivit quidquid quælibet cauſa libera, conſtituta in his, vel in illis circumſtantijs, ac conditionibus, ad actionem eliciendam, aut non eliciendam conducentibus, & habens omnia alia requiſita ad liberè operandum, eſſet determinatè factura, aut omiſſura. Hujuſmodi autem obiecta non cognoſcuntur à Deo in decreto prædeterminante, & inevitabili, exiſtente abſolutè, & conditionatè inferente.

XXV. Sed has veritates conditionatas præſcit Deus per ſcientiam illam, quam ſuperiùs Mediam appellavimus, independenter ab Illo Decreto prædeterminativo, quod ex multiplici capite reijcimus: eaſque cognoſcit, ratione earum intrinſecæ intelligibilitatis, immediatè in ſe ipſis.

XXVI. Volitivum radicale, ſeù per modum actus primi, Deus habet tantùm in ſenſu formali, ac metaphyſico, quatenus habet formalitatem voluntatis, ut ab actu diſtinguibilem ratione noſtra.

XXVII. Divina bonitas eſt Obiectum formale intrinſecum, vel extrinſecum, & pura ratio obiectiva, propter quam Deus vult quidquid vult, juxta illud Proverb. 16. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Nihilominùs non eſt eorum Theologorum improbanda ſpeculatio, qui aſſerunt, multas formalitates Divinæ volitionis habere etiam pro obiecto formali intrinſeco; hoc eſt pro ratione pura *ſub qua* intrinſecè tacta, creatam aliquam bonitatem.

XXVIII. Deus in ratione providentis, prædeſtinantis, ac reprobantis, conſtituitur per Divinos ſui Intellectus, ac Voluntatis actus. Et cùm præcipua Divinæ Providentiæ munera ſint, Creaturas rationales, congruentiſſimo modo, prædeſtinare ad gloriam, aut reprobare; aſſerimus non ſolùm re-

proba-

probationem poſitivam eſſe non poſſe in priori ad prævisionem abſolutam demeritorum; ſed neque prædeſtinationem formalem, ante merita abſolutè prævisa.

XXIX. Cùm Arcanum, & ineffabile Divinæ Trinitatis Myſterium dicimus, tres in eo realiter diſtinctas Perſonas in unius ſingularitate Eſſentiæ; quatuor Relationes, nimirùm Paternitatem, & Filiationem, Spirationem activam, & paſſivam; Proceſſiones duas, nempè Filij a Patre, & Spiritus Sancti ab Utroque; denique Notiones quinque, videlicet Innaſcibilitatem, & Paternitatem, quæ ſoli Patri; Filiationem, ſeù generationem paſſivam, quæ ſoli Filio; Spirationem activam, quæ Patri ſimul, & Filio; Spirationem denique paſſivam, quæ uni Spiritui Sancto competunt, intelligimus contineri.

XXX. Quamvis duæ ſint Perſonæ Spirantes adiectivè, unus tamen eſt ſubſtantivè Spirator; ſicut tres Perſonæ Creantes, & unus Creator. Admitto receptiſſimum apud Theologos de hoc Myſterio principium: quod nempè in Divinis omnia ſint unum, ubi non obviat oppoſitio relativa: & proindè in chimerica hypotheſi, qua Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab illo realiter non diſtingueretur.

DE BEATITUDINE, AC DE ACTIBUS HUMANIS.

I. BEatitudo obiectiva, ſivè *ut quod* eſt ſummum illud Bonum, cujus poſſeſſione homo beatus efficitur: quapropter Beatitudo obiectiva hominis non in aliqua re creata, aut ulla creatarum rerum collectione, ſed in ſolo Deo conſiſtit. Beatitudo formalis, ſivè *ut quo* eſt ea forma, quà homo conſtituitur, ac denominatur formaliter poſſidens Bonum illud ſummum, prout beatificum.

II. In ſtatu puræ naturæ (quem indubitatè credimus poſſibilem) Beatitudo obiectiva creaturæ rationalis, ejuſque ultimus finis eſſet Deus, ut abſtractivè cognitus per Creaturas. Itaque Beatitudo formalis, &, pro conditione illius ſtatus, perfectè ſatiativa creaturæ rationalis, eſſet cognitio enygmatica Dei, ut authoris naturæ, in ſuo genere perfectiſſima.

III. In præſenti ſtatu elevationis ad ſupernaturalia, obiectum primarium, & adæquatè eſſentiale noſtræ ſupernaturalis beatitudinis eſt Deitas cum ſuis perfectionibus abſolutis. Relationes igitur habent rationem Obiecti tantùm ſecundarij, quodque ne partialiter quidem pertineat ad rationem eſſentialem obiecti beatifici. Quare ſi fingatur hypotheſis, qua poſſet videri Divina Eſſentia, non viſis Perſonis, id ſatis eſſet ad noſtram beatitudinem eſſentialiter completam.

IV. Beatitudo formalis in eodem ſtatu naturæ elevatæ non conſiſtit aut in illapſu Divinitatis in animam Beatorum, aut in ipſa viſione Dei increata, quæ fingantur ipſorum intellectum informans; ſed in operatione aliqua vitali, ab ipſis Beatis elicita.

V. Hæc autem operatio formaliter beatificans ſita non eſt eſſentialiter ſolummodo aut in clara Dei viſione, aut in amore, aut in fruitione Dei; ſed co-

ao

njunctim in viſione, & amore, indiſtincto realiter a fruitione.

VI. Ad rationem eſſentialem formalis Beatitudinis pertinet certitudo de ſuamet perpetuitate: qua proinde ſecluſa certitudine, Beati non intelligerentur perfectè beati.

VII. Clara Dei viſio non modò radicaliter, ſcilicet per amorem beatificum, quem neceſſariò infert, verùm etiam aliquatenùs formaliter, ac ratione ſui, reddit Beatos omninò impeccabiles. Immo cum viſione intuitiva, & amore fruitivo Dei, ne de abſoluta quidem Dei potentia, conjungi poteſt peccatum ullum aut actuale, aut habituale.

VIII. Actus Amoris beatifici tum eſt ex ſua ratione perfectior omni actu, quo Deum diligunt Viatores; tum eſt ab omni amore viæ, ſecundùm naturam, & ſpecificam rationem, diverſus.

IX. Porrò Creatura rationalis ad ſuum ultimum finem ſupernaturalis Beatitudinis tendere, ac diſponere ſe debet per ſupernaturales actus ſibi voluntarios, ac liberos, & moraliter honeſtos.

X. Actus immediatè, & formaliter voluntarius elicitivè eſt, qui procedit à principio activo intrinſeco, movente ſe in finem, per ipſius finis perfectam cognitionem. Voluntarium verò obiectivè eſt, quidquid tali voluntatis actu denominatur volitum.

XI. Convenit itaque ſoli Naturæ intellectivæ, quòd elicere poſſit actus formaliter voluntarios. Bruta verò, cum ſolùm imperfectè, & materialiter cognoſcant finem, ſeù Bonum, & ad illud moveantur ſine formali cognitione finis, ut talis; babere quidem poſſunt operationes ſpontaneas, ſed non propriè voluntarias.

XII. Involuntarium, quatenùs dicitur tale per reſpectum ad eumdem appetitum elicitum, ſumi poteſt tùm poſitivè, ſeu contrariè, ſcilicèt pro eo, quod eſt contra actum efficacem appetitus; & ſic dicitur coactum; tum privativè pro eo, quod non eſt juxta eumdem appetitus actum.

XIII. Quæ fiunt ex metu, cujus cauſam averſemur, dicuntur mixta ex voluntario, & involuntario, ſcilicèt ſimpliciter voluntaria, & ſecundùm quid involuntaria: qualis eſt mercatori, naufragium timenti, projectio Mercium. Quæ verò fiunt ex metu, cujus cauſam amamus, ſunt perfectiſſimè voluntaria, ſinè ulla involuntarietatis admixtione: qualis eſt in homine probo Divinæ legis obſervatio, propter Divinæ Juſtitiæ metum.

XIV. Quapropter metus non excuſat à peccato violatorem Legis, præſertim naturalis negativæ; niſi fortè metus adeò perturbaverit hominem, ut ei plenum rationis uſum non permiſerit.

XV. Sub quo proinde libertatis impedimento, neque vota, neque contractus habent valorem: quem habent utique, cùm metus incuſſus non impedit, quo minùs ſit opus voluntarium ſimpliciter, eſto involuntarium ſecundùm quid. Humanæ tamen leges, in aliqua materia, ad valorem Contractus, requirunt actum perfectiſſimè voluntarium.

XVI. Concupiſcentia ſtrictè dicta, quæ eſt impulſus, & inclinatio appetitus ſenſitivi in Bonum ſenſibile, ſi antecedat actum voluntatis, minuit voluntarium ſecundùm ejus perfectionem eſſentialem; quatenùs tunc actus eſt mi-

nus

nùs ab intrinſeco, minùſque à perfecta cognitione: ſin autem conſequatur electionem voluntatis, nec minuit, nec auget voluntarium; indicat tamen actum prævium voluntatis fuiſse magis voluntarium.

XVII. Ignorantia omninò *antecedens* cauſat involuntarium ſimpliciter: *Conſequens* è contrario cauſat voluntarium ſimpliciter. *Concomitans* verò neque voluntarium, neque involuntarium poſitivè, ſed tantùm negativè voluntarium. Ex qua illarum diverſitate dignoſces quæ ignorantia, & quatenùs ſufficiat ad excuſandum à peccatis; & cum debita proportione a pœnis peccatorum, nempè a Cenſuris, irregularitate, onere reſtitutionis &c.

XVIII. Liberum arbitrium non modò fuiſse in Homine integro, ſed etiam eſse in Homine, poſt lapſum Adæ, tamquam Fidei dogma ſuſtinemus, contra Calvinum, & Lutherum, alioſque Hæreſiarcas.

XIX. Execramur tamen, tanquam ſummè abſonum, & Sacræ Scripturæ, Concilijs, ac Patribus apertè contrarium, ſyſtema Libertatis, quod ex Bajana, & Janſeniana ſchola proferunt Novatores: ſcilicèt ſolū in ſtatu naturæ integræ fuiſse præditum Hominem libertate a *neceſſitate*, ſeù abſolutæ indifferentiæ ad oppoſita: adeòque in ſtatu naturæ lapſæ illi ineſse ſolam libertatem a *Coactione*, quam vocant eſsentialem.

XX. Dicimus igitur præfatam libertatem indifferentiæ non ſolùm fuiſse in Homine naturæ integræ: quod negabant Priſcillianiſtæ, & Simon Magus, Stoicorum errorem imitati; verùm etiam in Homine, poſt lapſum: quod cum ſuis Aſseclis negarunt Bajus, & Ianſenius.

XXI. Quod denique ſpectat ad moralitatem humanorum actuum, dicimus hos denominari moraliter honeſtos, ac licitos, vel inhoneſtos, & illicitos ex hoc, quod omni Regulæ Honeſti ſint conformes, aut difformes.

XXII. Duplex enim eſt Regula omnis Honeſtatis: alia immediata, ſeù proxima, & formalis: alia mediata, ſeù remota, & obiectiva. Regula obiectiva Primaria, & unica in hac ratione, adeoque obligans *ut quod*, eſt Lex æterna Dei: Natura ſiquidem rationalis non eſt regula obiectiva actionum, ſed ſubiectum regulabile a Lege æterna. Regula verò proxima, & formalis conſiſtit in recta ratione, ſeù dictamine Conſcientiæ, quod Præconis inſtar, Legem æternam indicit, & proindè non obligat, niſi *ut quo*.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

I. Virtus Theologica per ſe infuſa eſt habitus entitativè, ac theologicè ſupernaturalis, dans Animæ ſimpliciter poſse elicere actus ſalutares, per modum potentiæ permanentis.

II. Suſtineri poteſt, poſt Tridentinum, ut fidei Dogma, in juſtificatione tum adultorum, tùm parvulorum, his infundi cum gratia ſanctificante habitus Theologicos Fidei, Spei, & Charitatis.

III. Ex Sacris Literis perperam aliqui deducunt, per ipſum Spiritum S. nos immediatè, & formaliter fieri dilectores Dei, aut formaliter effici juſtos.

IV. Sed effectus formalis diligendi ſuper omnia Deum propter ſe, ſolis actibus Theologicæ charitatis eſt tribuendus; ſicuti alicui tantùm habitui ſupernaturali

turali

turali creato (qualem plures autumant eſse ipſum habitùm Charitatis) effectus formalis animas juſtificandi.

V. Virtutes Theologicæ a Moralibus in eo eſsentialiter differunt, quòd quælibet Theologica reſpiciat Deum, vel Divinum aliquid ſub ratione obiecti tùm materialis, tùm formalis proximi, ac directi; quælibet verò Moralium ſub utraque ratione creatum aliquid reſpiciat.

VI. Virtutes acquiſitæ per exercitium frequens ſupernaturallum habituum per ſe infuſorum, non ſunt de ſe indifferentes ad rationem virtutis, ac vitij; ſed ſunt eſsentialiter virtutes.

VII. Obiectum materiale primarium Spei Theologicæ eſt Æterna Beatitudo, non ſola obiectiva, aut ſola formalis, ſed aggrégatum ex utraque.

VIII. Hæc itidem reſpicit, ut ſuum obiectum materiale ſecundarium, alia ſupernaturalia bona; immò & naturalia, quæ-, & quatenus ad aſsequendam Beatitudinem conferunt.

IX. Obiectum verò formale ejusdem Spei eſt Deus tùm ut ſummè bonus nobis, tùm potiſſimè ut Auxiliator Fidelis quoad bona promiſsa, & Miſericors quoad non promiſsa.

X. Habitus Spei Theologicæ remanet in Animabus Purgatorij; itemque in peccatore poſt Baptiſmum; dummodò non admiſerit peccatum deſperationis, aut infidelitatis.

XI. Satis probabiliter admittitur idem Habitus in Beatis, & in Chriſto Domino.

XII. Si Deus revelaret alicui ſuam damnationem (quæ revelatio fieri poteſt ſolùm in alia Providentia, ſoliſque peccatoribus) non haberet ille potentiam proximam eliciendi actû Spei Theologicæ circa ſuam Beatitudinem.

XIII. Charitas Theologica reſpicit Deum, ut Obiectum materiale primarium; Proximum verò ut ſecundarium: ſub ratione autem obiecti formalis reſpicit infinitam Dei bonitatem, prout in ſe bonam, ſimulque nobis amicabilem.

XIV. Habitus Charitatis eſt idem ſpecie in Patria, ac in Via: Actus verò Charitatis Compræhenſorum ſpecie differt a Charitate actuali Viatorum.

XV. Nomine Fidei Habitualis duplex indicatur habitus *per ſe* infuſus: alius, qui ad Intellectum pertinet, & eſt propriè habitus Fidei, ac Theologicus: alius perficiens voluntatem, qui propriè dicitur habitus piæ affectionis, ſeu credulitatis; & ad Fidem ipſam ſpectat ſolummodò reductivè, & per analogiam: Hic verò non excedit lineam moralis virtutis.

XVI. Habitus fidei nunquam infunditur ante primam hominis juſtificationem: & cum remanet in Peccatore Fideli, retinet in illo denominationem veræ Virtutis.

XVII. Tùm Angeli Viatores, tùm primi noſtri Parentes acceperunt cum Gratia ſanctificante, alijſque ſupernaturalibus donis, habitum fidei Theologicæ: qui permanet in Animabus Purgatorij, non autem in ullis damnatis aut Angelis, aut Hominibus; neque in ullis Beatis.

XVIII. Non ob qualecumque peccatum hic habitus amittitur; ſed ob hęreſim formalem, & Apoſtaſiam; itemque ob dubium voluntarium, ac deliberatum Chriſtiani hominis de alicujus Catholici Dogmatis Veritate, ſufficienter ſibi propoſità ad obligationem credendi. Non tamen amittitur ob errorem Fi-

dei

dei Catholicæ contrarium, qui prodeat ex ignorantia etiam vincibili, craſſa, & affectata.

XIX. Suſtineri poteſt, ut probabile, hæreticum hominem pertinaciter errantem contra aliquos veræ Fidei Articulos, elicere poſse, ex ſpecialiſſimo Dei auxilio, actum Fidei ſupernaturalem, ac Theologicum circa articulos alios, quos admiſerit.

XX. Obiectum formale motivum proximum, & intrinſecum Fidei Theologicę non conſiſtit in humana ratione, ut commentus eſt Petrus Abaylardus; neque in Divino præcepto preciſè ut obligante ad áſsenſum myſteriorum, neque in veritate obiectiva, relucente in ipſo myſterio, ut diverſi Doctores Catholici opinati ſunt.

XXI. Sed in ſumma authoritate Dei revelantis, & in ipſa etiam revelatione Divina: quæ proinde habet rationem obiecti motivi partialis; & non meræ conditionis, applicantis Obiectum formale motivum ad credendum.

XXII. Porrò ſumma illa Dei Authoritas conflatur ex duobus ſimul Dei Attributis, formaliter ac præciſivè ſumptis, nempe ex infallibili Sapientia, & indefectibili Veracitate.

XXIII. Undè analyſis, ſeu reſolutio intrinſeca actuum Fidei, ſive ſe habentium per modum Concluſionis, ſive per modum Principij, fit in totum illud Complexum Divinæ authoritatis, ac revelationis: ſinè vitio circuli, quod in Catholicis Scholaſticis irridere ſolent, & in quod impij ipſi irriſores evidentiſſimè labuntur; Hæretici, inquam, præſentis temporis, ac præſertim qui in interius lumen Spiritus privati ſuam fidem reſolvunt.

XXIV. Extrinſeca verò fidei analyſis fit in motiva proximè reſpecta tùm ab actu piæ credulitatis imperante aſſenſum fidei, ſcilicet in honeſtatem relucentem in hoc, quod eſt captivare intellectum in obſequium Fidei; tum a prævio Judicio, dirigente pium illud, & obſequioſum Imperium, hoc eſt in ea, quæ dicuntur Motiva Credibilitatis.

XXV. Per hæc eadem argumenta credibilitatis redduntur Catholicæ Religionis myſteria, ac dogmata evidenter prudentèr credibilia, & credenda; non autem evidenter vera in ſeipſis, ne morali quidem evidentia.

XXVI. Aſſenſus exhibitus myſterio, ſub evidentia in Atteſtante ſimpliciter dicta, non eliceretur ab habitu fidei præſentis Ordinis, ac Providentiæ; cui proprium eſt prodire in actus obſcuros, liberos, ac meritorios: qualem fore præfatum Fidei aſſenſum, non videtur ſatis probabiliter aſſeri.

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

I. Quamvis auguſtiſſimum Hominis Dei myſterium potuiſſe peragi, imò jam fuiſſe peractum, ex Fide Divina certiſsimè conſtet; ejus tamen poſſibilitas, nedum exiſtentia, neque demonſtrativè, neque probabiliter probabilitate poſitivà cognoſci poteſt ab intellectu Humano, vel Angelico, ex ſolo lumine rationis naturalis.

II. Veritas Divinæ Incarnationis ſuaderi poteſt Ethnicis, ac Judæis per diſcurſum merè naturalem, probabilem probabilitate negativa, per quem vide-

videlicèt probabiliter ſolvantur argumenta omnia, quibus illam oppugnant, quæ cùm ſint certiſſime falſa, & captioſa, utpotè pugnantia contrà ineluctabile Fidei dogma; fruſtrà nobis ab Adverſarijs obtruduntur, tanquam veræ demonſtrationes.

III. Præterèa utrique ſectę poteſt hoc myſterium efficaciter perſuaderi ex principijs generalibus noſtræ Fidei, quæ dicuntur principia credibilitatis; quibus nempè redditur, aut evidenter vera, aut evidenter prudenter credibilis Chriſtiana Religio, & generatim omnia ejus Dogmata, atque Myſteria. Imò Ethnici ipſi revinci poſſunt ex nonnullis de hoc myſterio vaticinijs divinitùs editis in veteri Teſtamento: addito tamen adminiculo humanæ hiſtoriæ.

IV. Evidentiùs contrà Judæos ex oraculis veteris Teſtamenti evincitur jam veniſſe Meſſiam; non qualem ipſi expectant, purum Hominem; ſed etiam verum Deum. Ad credendum hunc adventum compelli præcipuè poſſunt ex congerie ſignorum, prænunciatorum de Meſſia venturo; & ex vaticinijs Patriarchæ Jacob, & Danielis Prophetæ; quorum alterum Geneſis cap. 49. ſic exprimitur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium*; Alterum Danielis 9. ſic incipit: *Animadverte ſermonem, & intellige viſionem; ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*.

V. Fuit Deo non modò negativè, ſed etiam poſitivè conveniens, ut creatam aliquam naturam ſibi proportionatam aſſumeret ad redimendum Genus humanum; & quidem convenientiùs ut humanam, quàm aliam quamlibet: utque huic uniretur, fuit peculiariter conveniens Verbo præ cæteris Divinis Perſonis. Denique peractum eſt hoc ineffabile myſterium eo tempore, quo nullum aliud fuiſſet opportunius.

VI. Propugnamus contrà Ariſtotelem, Avicennam, alioſque, Deum non agere ex abſolutà neceſſitate extrà ſe quidquid eſt optimum ex parte operis; & contrà Petrum Abaylardum, VViclephum, & Lutherum, alioſque, Deum eadem neceſſitate non compelli ad agendum quidquid agit.

VII. Undè excludimus à Deo ad Divini Verbi Incarnationem peragendam, neceſſitatem phyſicam, aut metaphyſicam; tùm abſolutam, tùm ex ſuppoſitione, aut mundi conditi, aut Hominis elevati ad gratiam, aut lapſi in peccatum, aut ab eo liberandi. Neque agnoſcimus in Deo ullam neceſſitatem moralem propriè dictam ad hoc idem opus efficiendum, aut abſolutam, aut ex multiplici præfatà ſuppoſitione.

VIII. Nihilominùs aſſerimus neceſſe fuiſſe neceſſitate metaphyſica, nedùm morali, ut Divina aliqua Perſona naturam humanam, aut aliam aliquam naturam ſibi convenientem aſſumeret, ex ſuppoſitione Divini decreti de Homine liberando per condignam, atque perfectam ſatisfactionem.

IX. Pura ſiquidem Creatura, quantumlibet adjuta viribus gratiæ actualis, aut dignificata per gratiam habitualem, abſolutè non poteſt exhibere æqualem, ac perfectam ſatisfactionem pro gravi offenſa in Deum, ſivè propriâ, ſivè alienâ. Quam tamen facultatem condignè ſatisfaciendi pro peccato veniali proprio, ei non negamus: ſivè venialis culpa dicatur offenſa Dei, ſivè minùs.

X. Imò

X. Imò nec poteſt pura Creatura ſub ijsdem gratiæ præſidijs, atque ornamentis, aut in præſenti, aut in alia Providentia mereri de condigno remiſſionem peccati lethalis proprij, aut alieni: etiamſi admiſerimus eam poſſe de condigno mereri augmentum gratiæ ſanctificantis, tùm ſibi; quod certè poteſt etiam in hac Providentia; tùm alijs; quod ſolùm poteſt in alterà.

XI. Opera Chriſti Domini habuerunt valorem intrinſecè ſufficientem, atq; æqualem ad ſatisfaciendum pro quolibet debito, & ad merendum quodlibet præmium, quod Chriſtus determinatè voluerit; æqualem, inquam, æqualitate poſitivà, non negativà: quia habuerunt valorem intrinſecè majorem quolibet debito, aut præmio creato, atque finito; & infinitum ſimpliciter.

XII. Quapropter Chriſtus Dominus, ſicut ſatisfecit, quod ſpectat ad ſufficientiam, & in actu primo, pro peccatis omnibus, ſivè præſentibus, ſivè abſolutè futuris, & poſſibilibus finitis in infinitum; ità meruit nobis finita in infinitum præmia; ſed efficaciter, & in actu ſecundo ſatisfecit, & reſpectivè meritus eſt remiſſionem peccatorum iis tantùm hominibus, quibus applicantur per ſtatuta media ſatisfactio, ac meritum Divini Redemptoris.

XIII. Hujus omnis ſatisfactio, quam utique Patri pro nobis obtulit ex motivo formali multiplicis virtutis, dici poteſt æqualis noſtræ offenſæ ex toto rigore juſtitiæ, ſaltem generaliter, ac latè acceptæ, nimirum pro quàlibet virtute ad alterum.

XIV. Quamvis finis qui adæquatus Divinæ Incarnationis decernendæ fuerit aggregatum ex omnibus bonis, ex ipsà proventuris; finis tamen motivus, ſivè *motivum principale, & finis quo non* fuit ſola humani Generis reparatio. Si igitur Adam non peccaſſet; Verbum, ex vi præſentis Decreti, non fuiſſet caro factum.

XV. Unio hypoſtatica, per quam Divinum Verbum humanam ſibi naturam ineffabiliter copulavit, eſt modus ſubſtantialis, realiter diſtinctus à Verbo, & Humanitate; Verbo paſſivè intrinſecus, tanquam Termino; Humanitati tùm paſſivè, tùm activè intrinſecus, tanquam ſubiecto. Eadem eſt maxima uniorum, tùm in ratione dignitatis, tùm in proprià ratione virtutis unitivæ.

XVI. Unio ibi facta eſt phyſicè, & ſubſtantialiter in Perſonà: quòcircà non fuit in Chriſto Perſona duplex, morali tantùm nexu conjuncta, ut impiè aſſeruit Neſtorius; ſed una tantùm Perſona Verbi. Non facta eſt unio in natura, ità ut ex Divinà, humanàque facta ſit tertia quædam natura, aut per utriuſque commixtionem, aut per unius converſionem in alteram, aut per compoſitionem ex utràque, juxtà diverſa, quæ circumferuntur, deliramenta Enthychianorum: ſed in eodem Chriſto duplex illa natura verè, & propriè diſtincta, quamvis indiviſa permanſit.

XVII. Divinum Verbum non fuit immediatè unitum Humanitati, ratione Naturæ Divinæ communis, ſed ratione propriæ Perſonalitatis. Perſona Chriſti, quæ materialiter, & ſpecificativè ſumpta, etiam poſt unionem eſt perfectiſſimè ſimplex; formalitèr, & reduplicativè accepta, dici poteſt propriè compoſita.

XVIII. Terminus totalis Incarnationis, quatenùs hæc eſt aſſumptio, eſt natura humana; quatenùs eſt communicatio, eſt Divinum Verbum; quatenùs eſt productio, eſt totus Chriſtus formaliter ſumptus: quà propter unio hypoſtatica eſt ſolùm illius terminus formalis.

XIX. Quælibet Perſona Divina, aut ſeorſum ab alijs, aut cum alijs, potuit naturam humanam aſſumere, aut eamdem, aut diverſam: potuit etiam una, & eadem Perſona Divina plures Humanitates aſſumere.

XX. In utràque hac hypotheſi, quà aut multiplex Perſona Divina unicam Humanitatem, aut unica Perſona multiplicem Humanitatem aſſumeret, dici deberet unus Homo, non multiplex.

DE POENITENTIA, UT VIRTUTE, ET UT SACRAMENTO.

I. Poenitentia Theologicè ſumpta, quæ dici poteſt abſolutè, & ſimpliciter virtus, bene dividitur in Genericam, ſeu latè dictam, & ſpecialiſſimam, ſeu in ſcholaſtica reſtrictione acceptam. Illam conſtituimus in omnibus, & ſingulis virtutibus, quatenus peccatum ex proprio motivo deteſtantibus; hanc in ſpeciali quodam habitu morali; cujus obiectum formale eſt honeſtas retractationis compenſativæ peccati, quatenus illud eſt divini Juris læſivum.

II. Quælibet igitur virtus ex eo tantùm veræ, ac Theologicæ Pœnitentiæ nomen ſibi vendicat, quòd inclinet, atque diſponat ad peccata ex proprio motivo formali deteſtanda, cum propoſito non peccandi de cætero. Hinc actus cuiusvis pœnitentiæ Theologicæ adhiberi licitè poſſunt, ut congruæ diſpoſitiones ad Gratiam juſtificantem in Sacramento Pœnitentiæ adipiſcendam. Qui tamen deteſtatur, in ordine ad Sacramentum, ſua peccata, ob peculiarem turpitudinem, aliquibus virtutibus oppoſitam, caveat, ad indemnitatem Sacramenti, ne ullum ſit in conſcientia peccatum, quod ob ſuam ſpecificam turpitudinẽ non retractetur, addatque particulari deteſtationi propoſitum Univerſale explicitum non ampliùs peccandi.

III. Hinc evincitur execrabilem eſſe illam Lutheri, aliorumque Hæreticorum opinionem, qua aſſerebant ad veram, ac Theologicam Pœnitentiam, deteſtationem nullam, nullumque dolorem requiri; ſecùs inutilem fore, ac vitioſam pœnitentiam: ſed illam adæquatè conſiſtere in mentis mutatione, ſeu novà vità, ac reſipiſcentia, quam ex Græco codice Sacræ Scripturæ *μετάνοιαν* nuncupabant.

IV. Pœnitentiæ virtus reſpicit, tamquam ſuum materiale obiectum, ac proprium terminum ſuæ averſionis retractativæ, peccata omnia, tum lethalia, tum venialia, ſivè commiſſa, & non dum dimiſſa, ſive etiam dimiſſa: non autem peccatum originale, neque peccatum merè alienum, nec malum pœnæ peccatis debitæ, neque imperfectiones morales.

V. Arbitriamur habitum veræ pœnitentiæ infuſum probabiliter fuiſſe in Adamo ante lapſum, & in Beatiſſima Virgine Deipara, & in Apoſtolis, etiam poſt Spiritus Sancti in eorum corda illapſum: eſſe quoque in infantibus,

qui

quI Baptiſmum ſuſceperunt; & in Adultis retinentibus Baptiſmi innocentiam; & remanere in Beatis, tamquam ornamentum, aut inſigne victoriæ, quam ex ipſis peccatis retulerunt. Negamus tamen hujuſmodi habitum umquam fuiſſe iu Angelis, aut in Chriſto Domino.

VI. Cùm Ens intrinſecè, ac Theologicè ſupernaturale ſit, quod naturæ vires, ac jus excedit, atque ex intrinſeca ſua ratione pertinet ad æternam, ſupernamque hominis felicitatem, aut identicè, aut in ratione proprietatis, aut propter ordinem ad illam; apertè conſtat eos a ſana doctrina nimiùm aberraſſe, quicumque aut cum Pelagio docuerunt, hominem ſinè Ieſu Chriſti Gratia, ſolis liberi arbitrij viribus, quodlibet ſalutis opus perficere poſſe; aut cum Semipelagianis, eum poſſe, ſe ſolo, ſuæ ſalutis initium ponere; aut cum Kemnitio, ſalutaris pœnitentiæ actus exercere.

VII. Cordis Contritio, quæ ex Concilijs Florentino, ac Tridentino primum locum inter pœnitentis actus obtinet, tum conſtare poteſt ex tribus actibus realiter diſtinctis, qui ſint peccati deteſtatio, dolor de peccato, & propoſitum nnn peccandi de cætero; tum poteſt in uno indiviſibili actu conſiſtere, qui illorum trium contineat formalitates.

VIII. Hinc ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè ſuſcipiendum non requiritur *per ſe* propoſitum formale, & explicitum deinceps non peccandi; ſed ſufficit virtuale, & implicitum: dummodo doloroſa peccati deteſtatio, in quà hujuſmodi propoſitum includitur, eliciatur ex aliquo motivo ſupernaturali Univerſali.

IX. Contritio eſt ratio generica, quæ contrahi poteſt tamquam ad ſuas ſpecies, ad imperfectam, quæ propriè dicitur Attritio, & ad perfectam, quæ proprium ſibi fecit ipſum Generis nomen. Hæc autem perfecta Contritio, quæ ex unico motivo oriri poteſt Divinæ Bonitatis propter ſe, & ſuper omnia dilectæ, eſſentialiter includit amorem Dei appretiativè, & practicè ſummum, tantamque reſpectivè peccatorum deteſtationem.

X. Hinc ſuſtinemus contra aliquos Neotericos Theologos, contritionem ità perfectam in linea appretiationis, ſive intenſa ſit, ſive remiſſa, ſemper, atque infallibiliter conjungi cum remiſſione omnium lethalium extra Sacramentum: nullamque ad Sacramentum ritè ſuſcipiendum Contritionem hujuſmodi eſſe neceſſariam, cùm ad id ſupernaturalis attritio ſufficiat, etiam ex Gehennæ metu concepta.

XI Aſſerimus contra Novatum, nullum eſſe peccatum irremiſſibile per veræ pœnitentiæ actus: & contra aliquos Doctores Catholicos, nulli peccatori, quamdiù eſt in ſtatu viæ, ſuique plenè compos, deeſſe potentiam moralem ad reſipiſcendum,

XII. Omnia Sacramenta, non autem Sacramentalia, ex opere operato cauſant remiſſionem peccatorum venialium: dummodò hæc retractentur per aliquem Pœnitentiæ actum, vel formalem, vel virtualem. At extrà Sacramenta requiritur ad eorum remiſſionem ſaltem formalis Attritio, quæ oriatur ex aliquibus motivis perfectioribus metu Purgatorij, & conſideratione ſpecialis illorum turpitudinis.

XIII. Præter Pœnitentiæ virtutem, certum ex fide eſt, eſſe in Eccleſia verum,

ac

ac ſpeciale Sacramentum Pœnitentiæ, habens vim remittendi peccata. Hoc autem inſtitutum præcipuè fuit a Chriſto Domino, non quidem in ſupremæ nocte cœnæ, ſed cùm a Mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis Peccata &c.*

XIV. Idem metaphyſicè definitur *Sacramentum per ſe remiſſivum Peccatorum, ab homine Chriſtiano admiſſorum*. Quapropter Chriſtianis omnibus, poſt Baptiſmum in lethale lapſis, Sacramentum hoc in re, vel in voto ſuſceptum, eſt neceſſitate medij neceſſarium ad ſalutem.

XV. Ad illud autem ſuſcipiendum obligantur *per ſe*, & de Jure Divino Chriſtiani omnes, ſibi conſcij peccati Mortalis, in præſenti quovis vitæ diſcrimine; & præterea ſingulis annis (cui tamen præcepio annuæ Confeſſionis non ſatisfiet per ſacrilegam Confeſſionem, ſeu voluntariè invalidam) determinante Eccleſia per proprium præcepium tempus illud certum, quo Divinum de Confeſſione præceptum per Chriſtianos peccatores adimpleri debet.

XVI. Exindè refelluntur Montaniſtæ, Novatiani, Lutherani, VVicleffiſtæ, Calviniſtæ, Sacramentarij, alijque Hæretici, qui docuerunt, vel hoc non eſſe verum Sacramentum; vel non eſſe neceſſarium ad ſalutem; vel non eſſe ex Divinà, ſed Eccleſiaſticà Inſtitutione.

XVII. Sacramentum Pœnitentiæ includit intrinſecè, tum ſupernaturalem deteſtationem, ac dolorem Peccatorum, & Confeſſionem ſaltem formaliter integram, & ſatisfactionem a Pœnitente exhibendam, tamquam materiam; tum abſolutionem Sacerdotis, tamquam formam: ità tamèn ut doloroſa Deteſtatio, & Confeſſio peccatorum, & Abſolutio pertineant ad eſſentiam huius Sacramenti; at ſatisfactio ſit pars eiuſdem tantùm integralis.

XVIII Ex pluribus ſententijs de Conſtitutione Sacerdotalis Abſolutionis, eam, tamquam valdè probabilem approbamus, & ſequimur, quæ docet totam abſolutionis eſſentiam conſiſtere in his verbis, *Abſolvo te a peccatis*, aut in alijs, quæ his æquivaleant.

LAUS DEO, AC DEIPARÆ VIRGINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google